

**Audirac, Jacques Joseph - candidat /
Calmé, Jean-Baptiste - président. -
Utrum aliquando Catharsis,
praecipuum Haemoptysis Remedium
?**

1790.

**Paris : Typis Quillau,
Saluberrimae Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°185**



DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.



QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martii decimâ-sexâ mensis

Februarii, anno Domini M. DCC. LXXX.

M^o. JOANNE-BAPTISTA CALMÉ, Doctore Medico, Præside.

Utrum aliquando Catharsis, præcipuum Hæmoptysis Remedium?

I.

PULMO spiritalis anthlia. spongiosum sanguinis aerisque receptaculum; viscus; si non princeps, saltem patricium, in œconomiâ animali non uno fungitur officio. Multiplicem sustinet provinciam in rebus maximis strenuus naturæ administer. Hic summus sanguinis Artifex, & quasi perfectior operis,

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

chylum proximè affluentem , peregrinum adhuc & originis suæ nimis memorem, communiendo terendoque , penitus immiscet sanguini , & civitatis jure quasi donatum , domestico liquori consociat. Hinc uterque foedere junctus plus quam maritali , in cæteras abit parter , diversam illam humorum sobolem procreaturus. Ipse pulmo , dum cæteræ partes communi alluvie irrigantur , suum sibi habet alveum sanguinis , & eo quoque nomine , præcipui juris est. In hoc verò vitam adjuvat maximè , quod homini nato spiritum ducere necesse sit. Pulmo autem respirationis organum. Hujus fabricam introspecte , quid potuit ad reciprocandam animam excogitari aptius ? intueri substantiam , quid mollius & excipiendo aëri opportunius ? Facit autem illa raritas & mollitudo pulmonum ut levi momento disrumpantur. Ruptis vasis , emicat sanguis , qui eò quasi in officinam , quamdam suam confluxerat ; inde morbus quem Gæci *αιμόπτυσις* vocant. Pro variis symptomatibus varius est ; accedit interdum febris , inflammatio , dolor , tussis ; hæc verò tam diversa vasorum aut ipsius substantiæ pulmonis disruptione repetenda. Præcipuum autem *hæmoptysis* remedium , quod ipsius causam quamcumque tollit.

II.

GENUINAM hujusce morbi deprehendere causam , tanti est , quanti nosse genus hostium quibuscum bellum geras. Varii morbi variis quasi expugnantur machinis. Idem omnibus proponere remedium , circulatorum est , qui uno pugione omnes confodiunt. Oritur hæmoptysis sæpè à nimia sanguinis mole , nimioque ipsius impetu , vasa Pulmonum distendentis ultra modum & disrumpentis. Interdum vehementioris tussis improbitas , Pulmonem ita concutit , ipsiusque vasa ita constringit , ut compressus sanguis è carceribus erumpat. Nonnunquam serosa humorum colluvies , pituitaque salior , vasa Pulmonis ipsamque substantiam vellicat & corrodit. Quin etiam si quando primæ corporis viæ à materiâ morante nimis distenduntur , earumque partium glandulæ tardis infarciuntur humoribus , tunc præclusum sanguis vix molitur iter , ac non-nisi ægrè ex aortâ inferiori , per ejus ramos , intra abdominis partes dimittitur ; hinc alvi libero aditu exclusus faciliorem rapit viam , & in cæteras coporis partes , nec-non in Pulmonem invehit sese insolentius. Hoc impetu tam procaci vasa ultra modum intumescunt , pulmonis , verò canaliculi nullo aggere muniti , nullo adminiculo fulti , eò facilius dissiliunt quòd ubi

evenit, hoc maximè modo compescas hæmoptysim, si ea quæ in abdomine seg-
niter desident, aut Pulmones acriter dilacerant, ejicias.

III.

AD exemplum Naturæ fingere sese debet Medicus. Hæc illi magistra est; hanc ut reparet afflictam, valentem oportet imitetur: illa autem egregia con-
sultrix & medica Princeps, ut morbos aut auceat aut expellat, malignos hu-
mores sedulò segregat è salubribus. Hanc operam ipsa assidue meditatatur, quæ
dam per anum extrudit, alia exstillat per renum canales, multò plura per-
cutis poros egerit, quæ quidem omnia non-ne purgandi totidem genera sunt?
Purgationis nomine nunc tantum utimur, si per primas corporis vias fiat emis-
sio: faciem illam insalubrem, si per os remedia propellant, *Emetica*; si per
anum, *Cathartica*, vocantur. Id autem agunt, ut residem in canalibus mate-
riam eliminent & expressas strenuè glandulas, eo, quo turgent, humore exo-
nerent. His duobus magnam interdum vim habet in hæmoptysi *Catharsis*, dum
latentes mali causas amolitur.

IV.

EA demum legitima curatio est, quæ & ratione & experienciâ nititur
Pæcipuus rerum explorator *Hippocrates*, nostram hanc, quasdam hæmoptyses
sanandi methodum, testimonio suo comprobat: quandoquidem ipse libro *de*
intern. affect. præcipit ut adhibeatur *Catharsis* ad eas hæmoptyses, quæ à falsâ
pituitâ oriuntur, aut ab humoribus qui in abdomine interclusi, ad superiora,
ut ait, resiliunt. Hippocratem secutus est *Fracastrorius*. Neque minore consensu
approbata *Catharsis*, ad sanandas hæmoptyses, quæ ex viscosis fœculentisque hu-
moribus originem ducunt. Quippe injusto onere liberatum abdomen & quasi
detersum, sanguinis rivos admittit abundantius; ab ita pulmonibus partibusque
cæteris sanguinis iniqua moles, neque jam eruptionem minatur, & id quidem
experimentis & consiliis comprobavit *Ballonius*, in Facultate Parisiensi Doctor
peritissimus.

*L. 15. C. 15. de
curatione hæ-
mop. à diabrosi,
vel à capitis
vitio.*

*Epid. L. 1. p.
26.*

V.

UT in curandis morbis, non ratione sed fortunâ duci, Medico prorsus indi-
gnum est; ita eandem ubique viam præfactè sequi periculosum imprimis. In

B... de off.
pitt. n. 74.

Hip. l. 6.
Epid. sect. 3.

Comm. in
caus. Hip.

hæmoptysi plerumque præcipitur venæ sectio, quia plerumque ab ipso sanguine vis morbi proxime gignitur. Sed quædam sunt hæmoptysis genera, quæ sanguinis emissionem minimè coerceas, cum ex aliis quibusdam oriantur causis, quas sanguis avehere secum nequaquam possit. *Perperam Medici* (inquit *Balloonius*) *qui ubi primum aliquem hæmoptycum vident illum frequenti venæ sectione fatigant*: quin etiam consideranda venit anni tempestas, sexus, ætas, ipsiusque corporis temperatio, quæ quidem omnia, ex *Hippocrate*, sapissimè venæ sectionis impedimentum afferunt in hæmoptysi. Interdum, ubi hæmoptysis à saburra humorum infra diaphragma oriebatur, purgantibus drasticis, helleboro scilicet nigro, peplio, &c. utebatur divinus ille senex, non inopiâ meliorum, sed delectu, inquit *Duretus*, splendidissimum Scholæ Parisiensis Medicinæ lumen,

Ergò aliquando Catharsis, præcipuum Hæmoptysis Remedium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Petrus LASSERVOLLE.

M. Claudius - Ludovicus BERTHOLET.

M. Joannes - Antonius ELIE DE LA POTERIE.

M. Petrus - Augustinus - Olivarius MAHON.

M. Joannes - Baptista - Josephus THERY.

M. Joannes Stanislaus MITTÉ.

M. Stephanus CROCHET.

M. Joannus - Franciscus MARI-NIER.

M. Claudius - Ludovicus - Franciscus ANDRY.

Proponebat Parisiis, JACOBUS - JOSEPHUS AUDIRAC, Doctor Medicus
Monspelienfis saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus,

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.

